

sublimitatem & multitudinem accusent, non innoxium philosophandi modum, quo melior exoptari quidem, expectari verò non potest. Etiam in Naturalibus *ἐκ μέγας* tantum cognoscimus, indeque ostiatim quasi collectâ stipe eas opes quærere oportet, quas domestica pauperies singulis denegavit. *Ærarium* sapientiæ è collectis ditandum est, nec illæ à locupletissimis tantum sed à mediocri etiam fortunæ civibus exigendæ, ne pauperculorum quidem spreto collatu. Absolutissima quidem ea sunt Architecturæ opera, quibus eadem artificis periti manus, quæ prima fundamenta jecit, ultimam etiam addit coronidem: Sed si structuræ moles & vastitas, si operum ornatûsque, columnarum ac trabeationum, fornicum & conclavium, sculpturæ & picturæ cæterorumq; varietas unius architecti manum ætatemq; eludant, aut pluribus unâ diversarum ædificii partium cura demandanda est, aut defunctis prioribus alii subinde surrogandi veniunt, qui cœptum opus continent, aliqua etiam pro re nata immutent & corrigant; quicquid etiam operis magnificentia aut partium Symmetriæ & Eurythmiæ inde decesserit. *Ut quimus, ajunt, quando ut volumus non licet.*

VII. Atque hæc sunt quæ hac vice, ad Respondentis nostri, probitatis & bonarum artium, ac imprimis moderatioris Philosophiæ studiosissimi petitum, inter medias calamitates domesticas, de Philosophia Eclectica commentari nobis licuit; In quibus, si quid fortè occurrerit, quod aliâ fini dictum suspicacioribus quibusdam videri queat, quàm ut positos etiamnum alicubi scientiarum augmentis obices pro nostra virili removeremus, ac nostram, quâ per hos decem annos in hac Universitate usi sumus, ex Aristotele aliisque vetustioribus ipso ac recentioribus naturæ interpretibus, ac ex ipso Naturæ libro præcipuè, philosophandi methodum à quibusdam suspicionum reliquiis, præsertim ab intentato non semel novitatis crimine eam quæ est omnium antiquissima, penitus

penitus